



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Synodvs Landavensis Svb Hergvaldo XXIX. Ibidem Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

\* CONCILIVM COLONIENSE, ANNO  
 QVO AVCTORITATE VICTORIS PAPÆ CHRISTI  
 Balduinus & Godefridus comites Flandriæ Henrico 1056.  
 regi quinquennali conciliati fuerunt, anno Domini  
 MLVI.

## N O T A.

Causa &  
acta Con-  
cili.

\* *Concilium.* ] Balduinus & Godefridus ambo Flandriæ comites  
 hostes erant imperiales, a quibus rex quinquennalis iure sibi metue-  
 re poterat. Cum ergo Henricus imperator moriturus filium suum  
 pontifici commendasset, ille necessarium esse iudicabat, vt per-  
 duelles imperii, qui regnum intestinis bellis grauiter inquietare po-  
 tuissent, cum rege adhuc puero conciliarentur. Qua de causa ge-  
 neralem Synodum Coloniae celebrandam indicens, *In ea*, inquit Si-  
 gebertus, *Balduinus & Godefridus, mediante papa Victore, ad gratiam*  
*regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur.* In hac  
 inita concordia redditam fuisse Beatricem viro suo Godefrido par  
 est credere, licet illud auctor non dicat. Baronius anno 1056. nume-  
 ro II.

\* SYNODVS LANDAVENSIS CIRCA  
 SVB HERGVALDO XXIX. IBIDEM EPISCOPO. ANNUM  
 CHRISTI 1056.

*In qua familia regis excommunicatur ob vim illatam per ebrie-  
 tatem medico & nepoti episcopi in festo natiuitatis Domini.*

**F**AMILIA Catgucani regis Morcannue filii Mourici  
 in die natiuitatis Domini visitauit Landauiam bono af-  
 fectu, & vt dicitur de virga Aaron versa in draconem, ani-  
 mus illius familiae tardus ad sperandum bonum, velox ad  
 faciendum malum, & ditatus præ nimio gaudio tantæ fe-  
 stiuitatis, cœpit bacchari copia potationis, sequestrata dis-  
 cretione sobrietatis, intantum quod imperfecti viri amif-  
 sa vi scientiæ & pietatis, deuastrauerunt vnum familiarem  
 & nepotem Hergualdi episcopi, Berthutis nomine, virum  
 iustum & medicum totius patriæ, & facta tam execrabili  
 inuasione, & sub ala sanctorum Dubricii, Teliavi, Ou-  
 docei & asylo; misit episcopus legatos suos per omnes  
 ecclesias totius suæ dioceseos obtemperantes sibi infra  
 ostium *Taratir*, super ripam *Gui* & ripam *Tyui*, vt simul

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1056.

conuenirent clerici maioris dignitatis electi, tamquam inferioris apud Landauiam, & in plena Synodo depositis crucibus cum sanctis reliquiis ad terram, & versis cymbalis, simul & clauso ostio ecclesie, cum stipatis spinis, & ita carens seruitio & pastore remansit diebus & noctibus, facto anathemate familie regis & sequestrata a tota orthodoxe fidei sorte, & audita tanta submotione, & dilatata per patriam magno strepitu & murmure, coepit rex lacrymari pro damnatione familie sue, desiderans potius pacem cum suo pastore, quam participationem perpetratae iniurie. Aduocatis omnibus comitibus suis requisit apud Landauiam lacrymabili deuotione, simul & familia segregata a Christianorum consortio, & audita eius prece, & data sibi venia simul & familie iuncta cum poenitentia canonice, dixit rex positus manibus suis super altare Petri apostoli & sanctorum confessorum Dubricii, Teliui & Oudocei, & coram utroque populo clericali & laicali: Confirmo hanc eleemosynam, tribuens Deo Henriugunua videlicet, & sanctis predictis, & episcopo Hervualdo, & omnibus pontificibus Landauie in sempiterna consecratione liberam ab omni seruitio seculari & regali, & cum data communionem incolis, in campo & in siluis, in aqua & in pascuis. De clericis testes sunt, &c. Facto anathemate separaturis hanc eleemosynam ab ecclesia Landauie & a pastoribus eius, data autem benedictione seruaturis & confirmaturis in quieta pace. Amen.

ANNO  
CHRISTI  
1056.

CONCILIVM TOLOSANVM,  
XVIII. EPISCOPORVM CONTRA SIMONIAM  
aliave cleri & populi vitia celebratum anno Domini  
MLVI. tempore Victoris papae II.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De episcopis qui pecuniam ab ordinandis exigunt, & de ordinatis per simoniam. | IV. Contra simoniacos.                                     |
| II. De aetate episcopi, abbatis & diaconi ordinandi.                             | V. De clerico qui adipiscenda abbatie gratia fit monachus. |
| III. Ut dedicationes ecclesiarum gratis fiant.                                   | VI. De cura abbatum.                                       |
|  | VII. De calibatu clericorum.                               |
|  | VIII. Ut laici res ecclesiasticas non usurpent.            |

Concil. Tom. 25.

Cccc ij